DE HYDATIDIBUS NONNULLA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VI. MENS. FEBRUARII A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

JULIUS PLOCK

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

F. LAUFS, MED. ET CHIRURG. DR.
L. CASSIRER, MED. ET CHIRURG. CAND.
F. DAHN, MED. ET CHIRURG. CAND.

BEROLINI,

TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

PATRI OPTIMO

AMATISSIMO

H. H. PLOCK,

MEDICINAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO RHENOBERCENSI,

HASCE QUALESCUNQUE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Hydatides liquores sunt serosi, membranis propriis recens generatis inclusi, simplicibus aut propriis etiam organis instructis. Per longum tempus medici omnes hydatides solum organismo animali, in quo reperiuntur, productas esse, putaverunt, et earum genesi miris saepe modis lucem afferre. Malpighi, Tyson et Hartmann primum motus proprios animadverterunt, ex quibus illas animalia esse declararunt. Pallas et Goetze tandem caput proprie constructum primum in hydatidibus nonnullis observarunt, et sic opinionem verisimilem scriptorum, quos mox nominavi, certam reddiderunt. Ex quo tempore multi auctores omnes hydatides animalia esse putarunt. Himly simplicissima animalium omnium esse dicit, quae etiam sine ore ot ano propriam vitam gerant. Laennecii acephalocystae hydatides sunt, quarum character essentialis omnium organorum absentia indicatur. Bremser omnes hydatides in corpore humano enthelminthes haberi posse putat. Rudolphi autem, omnium enthelminthologorum celeberrimus, tales solum hydatides animalia propria esse credit, quae capita regulariter constructa habeant. Inter animalia infimi ordinis nulla quidem videmus organa exteriora aut interiora, sed semper nobis ostendunt formam globularem, lentiformem, alias. Nonnullae interea hydatidum

species talem formam praebent, qualem causae fortuitae, ut partium adjacentium pressio, efficiunt. In multis certe, uti in saccis illis magnis, qui hydropem saccatum in abdomine constituunt, in multis molis hydaticis etc., ne minimus quidem motus observatus est. Illae molae hydaticae, quae conceptioni originem debent, animalia nullo modo esse possunt; nam quomodo semen humanum enthelminthes procrearet? Quibus ex causis Rudolphi opinionem sequerer, et duo genera hydatidum valde inter se differentia acciperem, quorum alterum animalia, alterum cystes serosas vita carentes, continet.

Structura hydatidum.

Primum de animalibus. Plurimi auctores duabus ex membranis constare observarunt, quarum interior, si hydatis per plus temporis servetur, coagulando appareat. Structura corporum hydaticorum ignota est; nonnulli massam homogeneam esse dicunt, alii cavitatem interiorem et filamentum ignotae structurae invenisse se affirmant. In superficie exteriori aut interiori vesicae, armato, interdum etiam nudo oculo, corpora uncinulis coronata, vel unum vel innumera observamus. Nihil certe nobis de his corpusculis notum est, num sint foraminibus instructa canalis hiatum indicantibus, an solida, uti Zeder et Steinbuch credunt? Cum hydatidum organa nobis adhuc in obscuro sint, functiones earum etiam ignotas esse, necesse est. Sensibilitas solum et mobilitas certae sunt: immissae in aquam tepidam vel sanguinem motus ostendunt, alterne longiores et breviores fiunt: irritatae in globos se convertunt aut magis contrahunt aut in fundum vasis immergunt; corporis partes diversae mobilitatem peculiarem praebere

videntur. Functiones reliquae omnes horum animalium singularium, nutritio, respiratio, generatio, vitae spatium, quae, ut in plantis parasiticis, omnino pendent ex illius organismi, in quo orta sunt, morbo etc. nobis plane sunt incognita. In re tam difficili non possumus, quin miremur de tam variis hydatidarum systematibus, cum descriptiones ipsae multo inter se differant. Propemodum dicam, tot systemata, quot enthelminthologi. Rudolphi sic describit:

I. Echinococcus. Corpus subglobosum, vel obovatum, laeve; caput uncinulis coronatum. Vermiculi punctiformes, hydatidis superficiei internae insidentes.

a) Echinococcus hominis. Habitat in homine. Hydatis quaedam juglandis, aliae ovi columbini, vel gallinacei, aliae pugni magnitudine. Vermiculi arenula minores. Corpus flavescens, mox rotundum, mox pyriforme; uncinulorum capitis continui corona simplex. Hydatis in spiritu vini servata sordide flava, coriacea tunica majorum crassiore. Intus praeter tunicae tenerrimae frustula vermiculis aspersa lympha et materia grumoso-lardacea qua illis pariter scatuit.

b) Echinococcus simiae; in Simiae Cynomolgi visceribus thoracis et abdominis, Blumenbach plurimas hydatides offendit.

c) Echinococcus veterinorum. Habitat in ovium, vitulorum, vaccarum, suum hepâte.

II. Cysticercus. Corpus teretiusculum vel depressum rugosum, in vesicam caudalem desinens. Caput osculis suctoriis quatuor.

a) Cyst. cellulosae: caput tetragonum; rostrum teres uncinatum, collum brevissimum, antrorsum increscens; corpus cylindricum longius, vesica caudalis el-

liptica, transversa. Canales quatuor longitudinales ab osculis oriundi, jam in antica corporis parte visui subducuntur. Habitat in hominis musculis majoribus, M. Trapezio, Scaleno, alis; in rete venoso piae matris, fossae Silvii, in plexu chorioideo. Tum in Simiae sylvani et saepissime in suis domestici contextu musculorum reperitur.

Aliae species minus sunt memorabiles.

III. Coenurus: corpus elongatum, teretiusculum, rugosum, in vesicam plurimis vermiculis communem desinens. Oscula capitis quatuor.

a) Coen. cerebralis: hydatides ovi columbini vel gallinacei magnitudine, aqua repletae. Vermiculi illis inhaerentes, contracti $^1/_2{}'''$ circiter longi, $^1/_4{}'''$ crassi ad $2'''$ extensiles, albi. Habitat praecipue in ovium cerebro. —

Hydatides, quas non animatas putamus, aut forma sphaerica, vel tereti, aut plane irregulari indutae inveniuntur. Cum organo, in quo reperiuntur, filo aut plano majori conjunctae esse assolent, raro libere in cavitate liquore repleta natant. Saepe in majore hydatide minores invenimus, aut cum illa cohaerentes, aut in ejus liquore natantes. Memorabili forma sunt molae hydaticae, racemosae sic dictae: mire regulari, dicam propemodum eleganti modo ex uno caule ramoso pendent innumerabiles vesiculae, magnitudine seminis cannabini usque ad ovi gallinacei, quarum quaevis filamento solido affixa est, simili modo, ut in racemo vitis viniferae videmus. Hac mola membrana propria inclusa esse solet, quae ante molae per orificium uteri secessum rumpitur, et simul cum ea, aut utero perfecte evacuato apparet. Quae membrana alia est in veris molis, alia

in hydatibus simili ratione formatis, quae apud virgines observatae sunt. Hydatides membrana involvens, transparens aut opaca, naturam habet membranarum serosarum, vel fibroso-serosarum, saepe cum paululo solum telae cellulosae et nonnullis vasis cum partibus adjacentibus conjuncta est; interdum etiam tam intime, ut vix ab illis discerni possit, quibus ex causis vasa interna, tam arterias et venas, quam vasa lymphatica continere videtur. Membrana illa, quae involvit molas racemosas, rubri est coloris, mollis, spongiosa et plane analoga telae membranae deciduae. Interdum massa globulosa expulsa omnino est integra: in superficie tota omnes partes hujus membranae spongiosae aderant et saccum sine apertura hydatides includentem formabat. Molam vesicularem membrana descripta eodem modo, quo decidua caeteras membranas foetales, circumdat. Massa, quam hydatides continent, limpida, turbida, flava, viridis, sanguinolenta, rufa, imo nigra, fluida, gelatinosa, viscosa etc. est, in qua praeterea interdum flocci lymphatici, fila et membranae, aliae hydatides et minora ipsa vasa sanguifera inveniuntur. Secundum disquisitiones chemicas liquoribus serosis adnumeranda est, sed majorem aut minorem copiam albuminis continet.

Hydatidum genesis.

De genesi hydatidum omnibus temporibus opiniones valde variae dominarunt, quarum autem plurimae cum accuratiore et amplificata anatomiae, physiologiae et pathologiae notione evanuerunt. Considerare interea illud debemus in continuo nostrae medicinae progressu paucas hypothetice explanatas res, de morborum ori-

gine etc. immutatas per longum tempus mansisse et mansuras esse: quarum certe et jam refutatae utiles fuerunt, cum ad inveniendam veritatem vel saltem ad propius illi accedendum stimulaverint. Qua de causa licentia mihi non recusatur nonnullas earum proponendi. Portal (Mém. de l'Acad. de sc. 1770. p. 344.) et alii credunt, cum liquor serosus in una aut pluribus telae cellulosae cellulis tali modo accumuletur, ut via in cellulas adjacentes obturetur, parietes earum expandi, membranulas cellularum, quae circumdent illas, eo comprimi et sic complicari, ut saccum membranaceum conforment. Qua ex causa membranarum conformatarum crassities cum magnitudine et ortus tempore gradum tenere dicunt. Sed ut nunc telae cellulosae structuram cognovimus, difficile est intellectu, quomodo capsula singulari non antea generata, liquor includi possit. Quod si revera fieri possit, explicandum foret, qua de causa membrana in tota peripheria eandem crassitiem habeat, cum tela cellulosa non omni loco aeque copiosa inveniatur? quomodo cum hac sententia origo hydatidum in hydatidibus natantium explicatur? Quomodo tum hydatidum saepe observatarum, quae libere in corporis cavitatibus natant? Ruyschii (Obs. anat. D. II. p. 24. et Thesaur. 1. a. 2. 1. N. 12.) opinio vasa sanguifera in hydatides mutari, vix nostris anatomiae et physiologiae notionibus convenit. Letsom (Mem. of the med. soc. of. Lond. vol. 2. p. 32.), Cruikshank (Geschichte u. Beschreib. d. einsaug. Gef. v. Ludwig S. 83.), Soemmering (d. morb. vas. absorb. corp. hum. §. 48. p. 132 sq.) et alii varices vasorum lymphaticorum hydatides esse crediderunt. Sed nullum simile exemplum

talis expansionis aliorum vasorum in corpore humano notatum invenimus. Aneurysmata aortae e. g. observata sunt 1′ — 1½′ diametrum habentia (Morgagni, de sed. et caus. morb. ep. 40, 26.): hydatides vero multo majorem: verumtamen aortae lumen maximi vasis lymphatici in corpore humano tricenties magnitudine superat. Tum hydatides invenimus, ubi certe nulla sunt vasa lymphatica aut valde dubiis observationibus demonstrata. In aliis ipsis organis, quibus vera sunt vasa lymphatica plane alio loco vesicae saepe adhaerent, quam vasa lymphatica decursum habent. Quibus adnumeres exempla, ubi multae hydatides in cavitatis cujusdam liquore natantes hydatides in hydatidibus locum habentes notatae sint, et hanc opinionem non satis firmatam esse intelliges. Nostris temporibus satis multi autores, hydatides omnes propriam vitam habere contendunt, quam autem sententiam ex causis supra jam memoratis ubique accipere non possum. Secundum hanc opinionem omnium hydatidum genesis generatione aequivoca eo explanata est, quo omnino fieri possit ut rerum naturae lux afferatur. Meliorem ergo explicationem de illarum hydatidum genesi, quas veras enthelminthas esse accepi, proferre non possum. Difficilius fortasse alterius ordinis hydatidum genesis explicanda est. De hac solum suspicari possumus. Sine dubio plurimae hujus ordinis hydatides lymphaticis liquoribus exsudatis ex inflammatione profectis, quos sequi inflammationem non raro observatum est, originem debent. Sic Lassus, Corvisart, Le Roux, Cullerier observationes nobis notarunt, secundum quas tumores cystici, per vires externe adhibitas, partem quandam violantes, orti sunt. Eodem modo ipsam in

ossibus hydatidum genesin, quae ab Dupuytren etc. post fracturas observatae sunt, explicandam esse puto. Sic etiam verosimile est, commotiones violentas, saltus, sternutationem, tussim aliasque, similem statum in organo interno proferre et hydatides inde produci. Certe inflammationes ex causa externa ortas esse minime necesse est, quod hydatides ex causa interna productae (v. Lancisius, de morte subit. lib. 1. c. 2.) demonstrant. Tali modo ille liquor lymphaticus loco affecto exsudat, infimam organisationem praebens, ex quo aliis in casibus adhaesiones et pseudomembranae sic dictae proficiscuntur, hic autem, secundum illum rerum organicarum nisum et in forma per se perfecta apparendi, tum etiam mechanice in uno solum puncto adhaerens, formam rotundam, formam sacci ubique clausi sibi occupat. Qui saccus interea cum organo, ex quo exsudatio facta est, per longius adhuc tempus in contactu remanet, exhalatione hujus organi et membranarum suarum magis magisque impletur, et talimodo magnitudinem et ambitum majorem sensim exsequitur. Talis hydatis, e membrana lymphatica formata, ipsa proclivis est ad lymphaticas exsudationes in cavitate sua instituendas, quae novae iterum minores hydatides gignuntur, quae saepissime in majorum cavitate nobis occurrunt. Sic eas formari eo verosimilius est, cum hydatides non solum serosos, sed saepe etiam gelatinosos liquores, praeterea floccos lymphaticos, membranas, interdum etiam parva vasa sanguifera contineant. Interdum certe ex morbosa vi vitali, quae aliae organisationes morbosae: fungi, scirrhi etc. producuntur, originem ducunt, quod Veit in commentatione de hydatidum genesi (Reil's Arch. f. d. Physiol, Bd. 2.

S. 586 sqq.) exemplo demonstrare mihi videtur: quo in casu mirabilis hydatidum numerus tenerrimae structurae ex hepatis abscessu per longum tempus denuo semper expulsus est, multae uteri hydatides, durante graviditate aut etiam illa non praesente, observatae, modis jam dictis ortae; vel pro veris enthelminthibus habendae sunt. Sed molae illae racemosae jam dictae plerumque aliter oriri videntur. Omnes enim hujusmodi molas veras esse, id est, conceptioni praegressae originem debere, putarem. Percy quidem observationem nobis communicavit, secundum quam sanctimonialis viginti sex annorum, postquam mense Julio A. 1788. menses retenti fuerunt et abdomen iutumuit etc. mense Aprili 1789, duarum matularum aquae copiam una cum regulari mola vesiculari amisit; tamen, si coitus in occulto non praegressus est, unicus hic casus ad omnes caeterorum medicorum observationes, quas in foeminis nuptis solum adnotarunt, irritas faciendas non sufficit, cum secundum descriptionem non satis accuratam, pro majore hydatide animata multis germinibus externis instructa, molae racemosae formam praebente, haberi possit. Molae igitur vesiculares solum sunt ova degenerata. Velpeau in superficie externa nonnullorum ovorum unius mensis, sit nudo, sit armato oculo, magnam copiam intumescentiarum sphaericarum, vel ovalium tot ramulis cohaerentium, molae racemosae minutim similium, observavit. Secundum quam observationem Desmoreaux (Nouv. Dict. de med. t. 15. art. Oeuf.) dictum: „L'examen de ces pièces fait naturellement naître l'idée que la môle hydatique n'est que le product de cette disposition naturelle ou morbide, portée au plus haut dégré de

développement," concedam. Quaeritur autem, num omnes hydatides modis jam dictis oriantur, quod tam difficile est discretu, ut enixe affirmare non ausim. Num plures dilatatione jam confirmatarum vesicularum, quas e. g. in ovariis, in collo uteri, ovula Nabothi sic dicta, invenimus, oriuntur? multae adhuc nobis desunt observationes, ut de hydatidibus doctrina satis confirmata sit.

Quomodo hydatides permutentur.

Hydatides per longissimum tempus, non multum infestantes, in corpore humano variis locis adesse possunt, usque quo magnitudine sua intestina nobiliora, quibus adjacent, premant, et tali modo functiones eorum impediant, qua causa mors, post plus vel minus temporis labitur occulte. Non raro rumpuntur, et sic ascitem etc. producunt, sed semper, irritatione subita corporis alieni in peritonaeum etc. cum eventu lethali; cujus rei exemplum instructivum G. Abercrombie (Unters. üb. d. Krankh. des Magens u. s. w. übers. von v. den Busch S. 475.) nobis communicat. Antiquioris temporis medici omnes hydropes ex ruptis hydatidibus oriri putabant, et ipse Morgagni (de sed. et caus. morb. ep. 38. No. 35.) dicit: postquam disruptae humorem effuderunt, se suaque vascula primum in caruneulae formam contrahere, et nisi novus illuc humor effluere pergat, indurari, et exsiccari, denique, sic ut alba illa, ut dura subrotunda tubercula repraesentent, alia aliis, et hydatides fuerant, majora aut minora. Producit nobis idem autor observationes Jacobi, Wolfii, Bilgeri, Anhornii, Stegmanni, Goetzii, in quibus similia tubercula, humorem pro parte

effundentia, adnotantur. Sed granulationes et cicatrices illae sine hydropsia non rarius quam cum illa conjunctae, observatae sunt. Potius cum Abercrombie putarem haecce tubercula e statu proprie morboso peritonaei originem ducere. Primo aspectu revera similitudinem quandam cum hydatidibus minoribus tubercula illa praebent, sed magna inter ea differentia intercedit. Tubercula enim homogeniam, solidam, gelatinosam consistentiam habent, vel in centro interdum multo solidiora quam in superficie sunt. Membrana nulla inclusa esse videntur, et in aqua ebullienti plane dissolvuntur. — Si hydatides per longum tempus in corpore commorantur, in hygromata, meliceres, aliosque tumores cysticos saepe mutantur. Quam mutationem Bremser morbo hydatidarum animatarum explicari dicit. Idem observationes Malpighii refert, qui in hepate hydatides, massam variae consistentiae, a mollitie usque ad duritiem lapideam, continente, et interdum varias illas mutationes in una eademque hydatide observavit. de Walther (Syst. d. Chir. Bd. 1. S. 390.) dicit: „Es gibt entschieden auch wahre Balggeschwülste, sowohl im Zellengewebe unter der Haut, als unter den Sehnenbinden, in den innern Höhlen und im parenchymatösen Zellstoff der Organe, z. B. in der Schilddrüse, in der Leber, in der Bauchspeicheldrüse, im Eierstock. — Sackwassersuchten, wenn die seröse Flüssigkeit nicht in natürlich vorhandenen, sondern in krankhaft erzeugten Bälgen angesammelt ist, sind sehr grosse Hygrome.“ Chelius in capite de tumoribus cysticis propriam speciem, quam hydatidosos tumores appellat, accipit, et pro animalibus, taenia hydatigena vocatis, declarat. Neumann (v. d. Krankh. d. Mensch. Bd. 2. S. 717.) omnes tumores

cysticos nihil aliud quam hydatides esse putat, quae initio massam liquidam continentes, majorem paullatim consistentiam, tandem laridi et sebi duritiem acquirant. Etiam D. Monro, in opere de hydrope, similem accipit opinionem: ganglia ipsa et bronchocelem hydatides esse dicit. Saepe viis naturalibus loco affixo dissolutis hydatydae expellantur, praecipue in utero illae ortae. Multas de hac re observationes adnotatas invenimus. Mola racemosa tempore incerto, mense tertio, ipse decimo, raro serius, fluxu sanguineo, partus doloribus et syncope, interdum praegressis, partu editur. Saepe pro parte solum expellitur, et post longioris aut brevioris temporis intervallum iisdem incommodis foemina vexatur. Si mola cum ovo normaliter evoluto adest, tertio, raro quinto vel sexto mense, abortus fit. Mekkel imo casum vidit, in quo graviditas ultra mensem decimum perstiterit. Caeterum sicuti abortus intrare solet, expulsionem, excepta graviore metrorrhagia, observamus. Plerumque mola post ovum dejicitur, vel mox, vel nonnullis diebus praeterlapsis; interdum etiam primum expellitur, quod ex ovi aut molae situ, aut dissolutione utrius priori pendet. — Hydatides saepe viis, quae praeter naturam sunt, expelluntur. Sic in casu supra laudato Veitii hydatides per abscessum hepatis, qui abdominis tegumenta penetraverat, secretas vidimus. Riverius (Obs. Cent. 4. obs. 48.) de viro nobis, qui hydropicus aestimatus est, post purgans septem vesiculas oblongas, et forma et crassitie farciminis per anum amisisse narrat, quarum quaevis sex digitorum longitudinem, et in cavitate humorem foetidum habuit. Postea vir valuit. Laennec hominem, qui febrem hecticam, respirationem difficilem, tussim cum

sputis, et omnia, ne multa, phthisis pulmonalis symptomata habebat, mox sanum redditum esse dicit, postquam, praegressis per aliquot horas doloribus acutis in regione epigastrica, per sedes magnam hydatidarum copiam amiserat, quarum nonnullae ovi columbini magnitudinem haberent. De quibus per anum expulsis hydatidibus Rudolphi (Entoz. hist. n. v. 2. p. 2. pag. 248.) haec judicat: „et procul dubio hydatidae ex hepatis abscessu in duodenum penetrante, derivandae." Motus plures tales hydatides, quas Weigel in spiritu vini ipsi conservaverit, ostendisse dicit. — Si liquor ex hydatidibus arte emittitur, aut mox replentur, aut plane collabuntur et evanescunt. Quo igitur modo, si exstirpare illas non possumus, unice sanandae sunt.

Quibus in organis inveniantur hydatides.

I. Hydatides in cavitate cranii. Plerumque in ipsa substantia cerebri hydatides nobis obveniunt, rarius in piae matris superficie exteriori aut interiori, et plexu chorioideo (Edinb. Essay's vol. 3. art. 33.). Non raro hydatides in sinibus frontalibus invenimus, in vivo non semper diagnoscendas. Acutissimam efficiunt cephaleam, eo distinctam, quod nobis illam eodem semper loco fixam, aegrotus demonstrat. Balme (Journ. de méd. tom. 40. pag. 256.) apud feminam, per tres propemodum annos doloribus capitis gravissimis vexatam, et inter convulsiones subito morte correptam, post sinum frontalem dextrum vesicam aquosam invenit, ovo gallinaceo majorem, quae gelatinam limpidam includebat et in cerebri substantiam adacta erat. Borelli in eminentiis quadrigeminis et in fundibulo saccum invenit, qui duas circiter libras aquae continebat; Scultellus tumorem sacciformem eodem loco,

ovi gallinacei magnitudine, qui hydatides solum includebat. Stoll (Ratio medendi, Tom. 1. p. 262. edit. 1788.) post hemicraniam tumorem cysticum, magnitudine ovi columbini, sellae turcicae et N. optico insidentem, observavit. Lancisius (de mort. sub. Lib. 1. cap. 2.) memorabilem casum nobis de viro sexaginta annorum communicat, qui post podagram regressam, vomitu stercoreo cum melancholia et memoriae amissu conjuncto correptus est. Sex annis post subito mortuus est. Apud cadaveris sectionem in cerebri substantia corticali hydatis ovi columbini magnitudine detecta est, partim serosa, partim lympha gelatinosa repleta: substantiae corticalis cerebri pars, cui vesica insedebat, scirrhosa erat duritie. Plures observationes ab Hallero (Disp. anat. vol. 2.) notatae sunt. In monstris interdum, etiam loco cerebri massam invenimus hydatosam. Talem describit casum Morgagni, in quo pro cerebro vesicam flavo liquore et gelatina tenaci repletam, et frustulum cerebelli, nuclei amygdalini magnitudine invenerit. Plures casus invenies in Dominae Boivin opere inscripto: Nouvelles recherches sur l'origine etc. de la môle vesiculaire. Apud animalia multo saepius nobis data est occasio similes instituendi observationes. In multis pecoribus domesticis, praecipue in ovibus, vulgarem et devastantem producunt cerebri hydatides morbum. Animalia eo correpta ad unum latus continuo se vertunt, vel subsiliunt. Cujus morbi est Coen. cerebralis Rud. Wepfer (de apopl. loc. affect. p. 69.) bonae famae chirurgum, nomine Philippo Ormilin, pro certo dixisse affirmat, hydatides cerebri vulgarem esse morbum boum Helvetiae, quae stupiditate et vertigine diagnoscendae sint. Quod

si rustici observarent, eos caput pecoris post cornua malleo pulsare, quo tentarent, num sonum cavitatis praeternaturalis animadvertere possent. Talem si detexisse putarent, statim hunc locum penetrare, fistulam foramini immergere, et hydatides si prope ad superficiem locum tenerent, exsugere, quibus boves sanari dixit. Alio loco (Hist. apopl. 14.) idem auctor ipse se vidisse, apud bovem stupiditate apprehensum, tale experimentum institutum, quo magnam copiam hydatidarum sugendo protractam esse affirmat, et cum vertigo nihilominus perstiterit, bovem a rusticis mactatum esse, se autem apud sectionem capitis magnum hydatidum numerum in cerebro invenisse dicit. Quo libentius narrationem ulteriorem crederem, eo magis de verbis chirurgi, de curationis bono successu cum modestia dubitarem. Hydatides cerebri et aliarum cavitatis cranii partium, praecipue generationi aequivocae originem debere mihi videntur, quod quidem, cum saepissime apud animalia enthelminthes verae appareant, supponere possumus. Quae tamen non semper sic se habere, eo, quod post alios morbos metastatice oriuntur, tum etiam una cum hydrocephalo apparent, demonstratur; quibus casibus ex inflammatione etc. eodem modo oriantur, quem in aetiologia hydatidum generali posui. Ab aliis cerebri morbis, praecipue ab hydrocephalo chronico, vix diagnoscendae sunt. Saepe hydatides cerebri, de quibus in vita hominum minime suspicatum est, invenimus. Interdum in cerebro aegrotorum amentia captorum illas observamus. Haec signa conjuncta diagnosin quodammodo firmarent. Primum vertigo cum memoriae imbecillitate et rerum externarum negligentia apparet, vertigo mox propemodum

cessat, memoriae imbecillitas crescit, tandem strabismus, lassitudo magna apparet, quibus maxima agitatio per vices accedit. Somnus profundus non recreans. In sermonibus per vices dementia et prudentia, quin aegrotus de priore aliquid sciat. Post lethargiam tandem morte corripitur. Quae autem omnia signa si in aegroto nobis conjuncta obveniunt, diagnosin hydatidum non certissimam reddere, sed suspicionem modo nobis movere possunt.

II. In cavitate pectoris, et in saccis serosis, et in pulmone et in corde hydatides invenimus. Cystes serosae simplices, vix quater vel quinquies observatae sunt; semper propemodum hydatides animatae erant, quae e contrario non raro in sectionibus, saepe inexspectatae, detectae sunt. Semper membrana sacciformi e tela fibrosa, raro etiam parvis laminibus cartilaginosis aut osseis constructa, circumdatae sunt, cujus superficies interna rugosa et inaequalis, interdum etiam flava, prope solida materia albuminosa contecta est, quae secundum Baillie lymphae coagulabilis aspectum praebet. In ejusmodi sacco una aut plures hydatides reperiuntur, quae vel interne, aut in superficie externa minoris adhuc voluminis hydatides continent; uti a celerrimo Laennec observatum est. Non desunt observationes, secundum quas hydatides tussi exsputae sunt, minime autem de omnibus demonstrandum erit, revera in pulmonibus contentas fuisse. Laennec, multi alii, tales hydatides, tamquam alias omnes, pro veris cysticis respicit, quibus nomen acephalocystium dedit. Germinibus, uti quaedam polyporum species, incrementum acquirentibus, et tandem a matre se dissolventibus, propagari affirmat. Nullo modo hydatides

pectoris certe diagnoscendae sunt. In pulmonibus pecorum domesticorum, praecipue ovium et boum, saepissime vesicae aquosae inveniuntur, quae secundum Laennec plerumque subtilissima membrana serosa, liquorem aquosum continentem, formantur. Praeterea Echinococcus veterinorum Rud. non raro observatur in pecoribus jam nominatis.

III. Hydatides in cavitate abdominis.

1) In hepate minime rarum morbum efficiunt hydatides. Sedem habent aut in substantia hujus organi, in qua saepe numerosissimae sunt, aut sub membrana a peritonaeo proficiscente tam in superficie convexa quam in concava. Cujus ulterioris speciei observationem memorabilem apud Abercrombie (Unters. üb. d. Krankh. des Magens von v. d. Busch S. 473. sqq.) legas. Sacci, quibus continentur, interdum crassa pseudomembrana constructi sunt et praeter lympham, vel serum, non raro ossium fragmenta in cavitate habent. Hepar ipsum saepe praeter hydatides, quas continet, aut plane sanum, aut insuper praeter naturam volumine auctum, vel alio quodam modo degeneratum est. Hydatides, nisi nimis magnae, aut alio modo degeneratae sunt, plerumque nulla molimina efficiunt, et in hominum cadaveribus, qui aliis morbis, ut sine ullo symptomate, hepatis affectionem indicante diem supremum obierunt, repertae sunt. In casibus autem illis, qui morbosis symptomatibus stiptantur, minime haec tam distinctae sunt, ut ab aliis morborum chronicorum hepatis symptomatibus discerni possint. Plerumque hepatis hydatides ex specie Echinococci hominis Rud. sunt. Apud animalia, praecipue homines, boves, sues, hepatis hydatidae non raro observantur; plerumque

vermem, quem Echinococcum veterinorum Rud. appellant, invenimus. Bene interea distinguendae sunt a distomate hepatis, quod morbi tantopere devastantis, praecipue apud oves, causa et.

2) Lienis hydatides nobis saepe obveniunt, iisdem propemodum rationibus, ac in hepate; ita quidem, ut aut in lienis substantia reconditae, aut, quod assolet in cystibus a lienis peritonaeo confirmatis, inclusae sint. Substantia splenis plerumque paullo mutata est. Diagnosis ab aliis lienis tumoribus, propter liquorem tenacem in iis contentum, difficilis est, et plerumque fieri non potest.

3) Renes tam hydatides animatas, quam tumores serosos, quamquam raro, nobis praebent. Baillie (Anat. etc. pag. 245.) hydatides renum, solido, lamelloso sacco, duritie cartilaginea, inclusas vidit, quae capiti acus usque ad pomum aurantii magnitudine aequabant; minimarum nonnullae imo ad vesicam urinariam descenderunt. Morgagni (de sed. et caus. morb. ep. 38. N. 39. sqq.) partim e propriis, partim aliorum sectionibus plures collegit casus, in quibus hydatidae in renum substantia variae magnitudinis repertae sunt. Casus autem illi, ubi renes urina tam extensi inventi fuerint, ut plane in saccum membranaceum commutati fuerint, hisce non sunt adnumerandi. Nam illae hydatides verae, in substantia renum reconditae, quarum interdum liquor urinam redolebat, cadaverosa exsudatione magis ita mutatae sunt, certe nunquam urinam ipsam ostenderunt.

4) Inter peritonaeum et musculos abdominales hydatides. Tulpius (Obs. med. cap. 44. lib. 4.) primum hydropem saccatum peritonaei appellabat, quo sub nomine, nostris adhuc temporibus

complectuntur. Ledran (Acad. chir. 1, 6.) in cadavere feminae hydropicae, apud quam pluries punctio abdominis instituta fuerat, vesicam invenit, quae musculorum abdominalium parti anteriori tali modo insedebat, ut peritonaeum recognoscere non posset. Morand (Opusc. chir. pars 2. pag. 178.) plures etiam observationes adnotavit. Omnes, quas de hac re habemus observationes, commemorant tumores scirrhosos tegumentorum abdominis, imo nonnulli autores omnes hujusmodi vesicas affectione carcinomatosa oriri volunt. Hae hydatides, quae absente aut obscura fluctuatione, distincte percipiendis marginibus, facile ab ascite dignosci possunt, semper tamen propemodum cum hydrope saccato ovarii confunduntur.

5) Hydatides ovariorum. In ovariis, quorum in tela spongiosa et parenchymatosa multae parvae vesiculae accumulatae sunt, saepe hydatides reperiuntur, quae aut ex ovulis ipsis extensis, aut ex recenter formatis tumoribus originem ducunt. Rarissime veras enthelminthes iis inesse puto. Vesicae limpidam vel turbidam, liquidam vel tenacem, gelatinosam, atroviridem vel massam sine colore, semper autem albuminosam, includunt. Saepe in atheromata, steatomata etc. hae hydatides degenerant, de quibus notatum est, ut praeter illam omnibus communem massam propriam crines etiam et dentes colore et forma maxime variabiles contineant. Vide Meckel's Archiv f. d. Physiol. Bd. 1. Heft 4. S. 519. sqq. Omnes illae materiae aut una continentur vesica, aut sacco communi, plures ejusmodi hydatides includente, amplectuntur. Interdum unius sacci parietibus numerosissimae vesicae adhaerent. Hydrops ovarii (sic nominatus hydatis) frequen-

tissimus est. Plerumque ex scirrho oritur, et diagnosis ea de causa minus certa est, quod hydropis terrentia valde cum scirrhi symptomatibus conveniunt. Qui transitus si accedit, primum in regione ossis ilei, plerumque quidem sinistri lateris, eodem loco quo antea dolores sedem habebant, tumor animadvertitur, circumscriptus, et interdum irregulari forma et primo tempore mobilis. Hic tarde et lente crescens per totum saepe abdomen se extendit et tum non raro fluctuationem ostendit. Interdum morbus graviditati simillimus; certe autem eo diagnoscitur, quod tumor lateralis, irregularis sit, lentius crescat et motus foetus absint; mammae non intumescunt et si initio morbi pallulum tumefactae essent, mox collabuntur et flaccidiores apparent ac in sana esse solent. Portio vaginalis tandem non ita mutatur quam in utero gravido.

6) Hydatides uteri et natura et loco tam variabiles sunt, ut accuratius eas perlustrare necesse sit, nisi ab omni duce in re tantopere obscura relictos nos videre volumus. Hydatidae in hoc organo nobis obveniunt et graviditate praesente et illa absente. Si illas in utero una cum embryone invenimus, aut pro veris enthelminthibus, aut pro cystibus serosis, propria vita animali carentibus, habere eas debemus. Si solae in utero adsunt aut veras enthelminthes, aut molas veras, aut vesicas morbosa vi organisandi productas, esse puto. Multi dubitarunt, num hydrops uteri una cum graviditate adesse possit; observationibus autem, hoc fieri posse demonstratum esse, credo. Vidimus enim feminas, quae diversis temporibus graviditatis magnam aquae copiam per vaginam amiserint, quin paulo post foetus expulsus sit, et post partum cicatrices in amnio visae fuerint; partim hydatides durante graviditate pro certa

cognita, expulsae sunt. Fabricius ab Hilden (Obs. chir. cent. 2. obs. 56.) uxorem suam primis graviditatis mensibus saepe dolores colicos et singularem frigiditatis sensum percepisse, simulque facie pallida fuisse, nobis narrat; abdomen intumuit: sex menses ante partum extremitates inferiores oedema ostenderunt; tandem molimina partus intrarunt et decem librae aquae per vaginam evacuatae sunt. Nonnullis momentis post foetus tegumenta eruperunt, novem librae aquae effluxerunt, et mox foetus vivus secutus est. Sine dubio in duobus saccis separatis aqua contenta fuit. In alia observatione idem autor apud feminam quinto graviditatis mense, durantibus partus moliminibus decem libras liquoris limpidi, una cum sacco membranacco, crassam tunicam habente, defluxisse refert. Secundum hasce observationes minime dubitandum est, quin hydatides una cum embryone adesse possint: sed tamen difficile est, imo dicam fieri non posse, ut ante partum diagnoscantur. Hydatides uteri, absente graviditate, saepissime observatae sunt, et apud virgines et apud nuptas. Neumann omnem hydrometram hydatidem esse putat, et praecipue hisce annititur argumentis: 1) Membranae mucosae serum secernere non possunt; 2) intelligendum non esse, quomodo tubarum Fallopii et cetera ostia eodem tempore clausa sint, cum aqua per ea non extravadat. Sed Abercrombie (Unters. üb. d. Krankh. d. Mag. etc. übers. v. v. d. Busch, pag. 9.) in totius tractus intestinorum tunica mucosa, exsudationem serosam, illi membranarum serosarum aequalem, fieri dicit. Cur idem non de uteri tunica mucosa accipiam, cum in multis observationibus liquor serosus repertus, et de membrana hunc includente, magnum adhuc dubium sit? Tum in graviditate orificium uteri, fortasse etiam tubarum ostia, coagulo

mucoso clausa videmus, idem quod in actionibus, quibus hydrops producitur, simili quodam modo fieri ad tempus potest. Hydatidas, quae non conceptione oriuntur, aut animalia, aut morboso utero productas, falsas molas appellare possumus, et tam in nuptis quam in virginibus reperiuntur. Singulae plerumque rotundae vesicae, nari racemose connexae esse solent, quo in ulteriori casu, ab veris molis racemosis sic dictis structura irregulari discerni possunt. Hydrometra, ut ita dicam, cystica sive hydatica, difficile et vix ante partum hydatidarum certe diagnosci potest. Uterus intumescit, et fundus ejus distincte per tegumenta abdominis percipiendus est; orificium uteri clausum, portio vaginalis tenuis, laxata, applanata inveniuntur. Aegrota gravitatis sensum in abdomine habet, qui tamen, si vesica quaedam disrumpitur, et tali modo pars liquoris evacuatur, diminuitur. Initio morbi aegrota sanam propemodum se sentit, usque quo symptomata secundaria, ex pressione nobiliorum organorum orta, molimina gravia illis in ascite observatis simillima, producant. Ab hydrometra ascitica, independente, discerni potest fluctuationis absentia, tum eo, quod interdum pro parte liquores effluant. His momentis a graviditate pro parte diagnosci potest: omni aetate, ea etiam, in qua femina concipere amplius non potest, observata est; tumescentia celerius quam in graviditate increscit; alternis vicibus crescit et decrescit, minus calidus percipitur; mammae flaccescunt et rugas accipiunt; loco menstruationis retentae fluor albus saepe invadit; portio vaginalis mollis, marcida, refrigerata et non tam regulariter, ac in graviditate, mutata percipitur; nunquam motus fetales apparent; morbus tandem raro ultra sex

menses perstat, neque longe normalem graviditatis terminum transgreditur. Molae verae hydaticae, quarum origo jam supra demonstrata est, aut simplices vesicae sunt, aut structurae jam descriptae racemosae. Liquor in illis contentus aut limpidus, aut magis minusve coloratus est, imo etiam ut de Siebold et Osiander commemorant, saepe partes foetus, ipsae etiam partes organorum, evolutioni inservientium, funiculi spermatici e. g. normaliter constructae, molis insunt. Magnitudine variant, ab ea seminis cannabini, usque ad ovi gallinacei, quin molae simplices eam nonnullarum mensurarum adaequant. Diagnosis valde incerta est. Omnia propemodum sunt ejusmodi ac in graviditate normali, symptomata. Haec signa quodammodo duces nobis esse possunt: abdomen citius expanditur; eadem ratione mammae intumescunt; venter minus regulariter formatus est, saepe tactu dolet; portio vaginalis non tam regulari et distincto ordine mutatur, dum aut citius, aut plane inobservabili modo brevior et nunquam tam spongiosa et mollis fit, quam in normali graviditate. Mox invadit metrorrhagia et circa medium graviditatis spatium nulli motus fetales apparent. Magis characteristica symptomata haecce sunt: 1) liquor alterne rubellus et aquosus per vaginam effluens, apud plurimas feminas, a mense secundo apparet, et interstitiis brevioribus aut longioribus usque ad partum viget. 2) Orificium uteri hic insigniter fatiscens, ad formam et locum vix mutatur. Praeterea molae hydaticae ceteris symptomatibus hydropis, qualia sunt oedema extremitatum inferiorum et abdominis supra regionem pubis, faciei leucophlegmatia, frigor abdominis, alia, stiptatae esse solent. Certissimum autem symptoma ad diagnoscendum

morbum secessus est nonnullarum hydatidum. — Frequenter placenta vesiculis obsita invenitur. Valisnerius plures nobis describit observationes. Casus memorabilis apud Hallerum (Opusc. pathol. obs. 40.) notatus est: „Placenta sanguini grumoso simul prima facie apparuit, in disco congesto, laminato. subrubro, ex quo petioli unciales, semi lineam et ultro lati, numerosi provenerunt. His petiolis adhaerebant vesiculae albae, ita sibi innexae, ut ipsae finis unius petioli alteram vesiculam, et ita porro produceret. Ultimus denique petioli finis vesiculae similis fuit. In ipsa placenta, quae naturam disci retinuerat, etiam vesiculae rubicundae magis erant pariter sibi innexae. Intus gelatina fuit, adeo viscida, ut in aqua non difflueret." Omnes propemodum hydatides placentae animalia esse scriptores credunt.

7) Hydatides saepe in cavo abdominis, intestinis insidentes, iisdem immo inclusis repertae sunt, ita ut totum propemodum cavum massa hydatidosa repletum, visui se praebebat. J. Howship in the Edinb. med. and surg. Journal, January 1. 1835. CXXII. pag. 14. hunc casum memorabilem nobis describit: „On laging open the abdomen, the whole of the viscera was found one confused mass of lumours. In opening the duodenum a pulpy sac, like coagulable lymph, was cut in hos, containing probably a full pint of small hydatides, the largest about the size of a hazel-nut. These hydatides were of various tints, from a deepgreen to a bright-yellow, swiming in thin serous fluid. The whole of the bowels and other viscera were equaly involved in this disease; the continued pressure from which appeared to have

very moch reduced the size of every viscus by exciting interstitial absorption. The liver, in particular, was diminished in thickness almost to the peritoneal coat, not more than abaut half an inch of its parenchymatous substance remaining. The adhesions were so numerous and intimate that there was neither beginning nor end."

IV. In scroto et testiculis saepe hydatides inveniuntur, plerumque tamen solum cystes serosas sine propria vita, excepta tamen tunica vaginali, in qua verae enthelminthes et liberae et adhaerentes, repertae sunt. Morgagni ex ruptis vesiculis serosis in tunicis testis ortis, hydroceles deducit, in plurimis saltem casibus. Granulationibus et cicatricibus praecipue opinio sua nititur, quas apud hydrocelem in tunicis testis animadvertit: sed invenimus aeque saltem frequenter granulationes et cicatrices illas sine hydrocele ac cum ea conjunctas. Interdum in scroti tela cellulosa cystes serosae inveniuntur, aeque ac tertius testiculus adesset; quod tamen plerumque in funiculo spermatico fit. Quas quidem cystes cum hydrocele cystica, apud infantes frequentissima, permutare non debemus, quae eo oriri videtur, ut pars canalis tunicae vaginalis aperta remaneat, dum supra et infra clauditur, et tela cellulosa accumulatur. Henkel in cadavere uno tres hydroceles unoque latere se invenisse dicit; primam in tunica vaginali, secundam in posteriori funiculi spermatici latere, tertiam in tela cellulosa peritonaei, duos pollices supra annulum abdominalem: quae ultima facile annulum pertransierit, et magnum tumorem formaverit, pressione recedentem, qui statim pressione cessata, iterum apparuerit.

V. Hydatides in musculis praecipue sunt Cysticerci cellulosae Rud., quae maximos praecipue musculos praeferre videntur: M. Trapezium, Scalenos, Latissimum dorsi etc. Werner musculos ruberiores circa hydatides vidit; alii pallidiores et flaccidiores esse dicunt. Treutler invenit hydatides in musculo sacrolumbali Simiae Patae et Silvani. Praecipue sus domesticus valde hisce verminibus vexatur. Reperti sunt in omnibus ejus musculorum interstitiis cellulosis, in cordis substantia, ejusque valvulis semilunaribus, in oesophago, lingua, circa nervum opticum, in medio tegumentorum cerebri, nonnulli in dura matre, multi sub pia matre, ipse in substantia corticali cerebri.

VI. Hydatides interdum in ossibus animadvertuntur. Cullerier aegrotum recepit, qui in parte anteriore tibiae tumorem non dolentem, steatomatis consistentia habebat, circa quem osseus et irregularis margo cavitatem indicabat, in qua tumor lateret. Remedia vulgaria sine effectu erant. Cullerier applicabat Kali causticum; defluxit materia crassa, faecis vini colore, propemodum inodora. Fundus, qui cauterisatus fuit, tibiae degenerationem indicabat: adhibitum est cauterium actuale: pars ossis cauterisata detexit cavitatem, ex qua parva corpora rotunda, tres lineas, vel quatuor in diametro habentia, provenerunt. Unum corpusculorum unius pollicis diametrum superabat, pluraque alia continebat. Quae corpora sine dubio hydatides erant. In alveolis, praecipue dentium caninorum maxillae superiores interdum cystae serosae oriuntur et magnum volumen acquirunt. Plerumque cum dente evulso removentur. Marjolin os maxillare superius possidebat, cujus in alveola una, cavitas tantae magnitudinis erat, ut in vivo pro antro Highmori eam sumsisses.

V I T A.

Natus sum ego *Julius Plock* Werdeniae d. XXVIII. Martis mensis anno MDCCCX. patre *Hermanno*, medico practico Bercae ad Rhenum, et *Susanna*, e gente *Tüschen*, matre, quam jam ex undecimo aetatis meae anno abreptam mihi lugeo, Addictus sum confessioni evangelicae. Primis literarum elementis imbutus sum Werdeniae. Duodecimo aetatis meae anno in gymnasium Assindiense missus sum, quod per septem annos frequentavi. Pharmaciae discendae causa tum per unum annum et dimidium in officina Vesaliensi pharmaciam practicam exercui. Primum Majo mense anni MDCCCXXXI. Bonnam petebam. Qua in alma musarum sede a beato *Droste-Hülshoff* t. t. Rectore magnif. civium academicorum numero adscriptus, has scholas frequentabam: Cel. *Calker* de logice et psychologia; ill. *Treviranus* de botanice; ill. *Goldfuss* de zoologia; ill. *Noeggerath* de mineralogia; ill. *Bischoff* de chemia experimentali; ill. *Nees ab Esenbeck* de botanice pharmaceutica; ill. *Müller* de encyclopaedia, methodologia et de physiologia; ill. *Weber* et ill. *Mayer* de anatomia; artem cadavera rite dissecandi exercebam secundum ill. *Weber* et ill. *Mayer* institutiones.

Deinde mense Novembri a. MDCCCXXXII. Ill. *Weiss* t. t. Rector magnificus et ill. *Osann* t. t. Decanus, medicinae studiosis universitatis Berolinensis me addiderunt, ubi has disciplinas pertractavi: Ill. *Hufe-*

land pathol. gener.; ill. *Horn* pathol. specialem et morbos mentis; ill. *Hecker* therapiam spec.; ill. *Rust* chirurgiam; ill. *Osann* materiam medicam; ill. *Kluge* luxationes. Praeterea lectionibus clinicis interfui Ill. *Rust*, ill. *Bartels*, ill. *Busch*, cel. *Truestedt*.

Tum mense Novembri a. MDCCCXXXIV. Ill. *Germar* t. t. Prorector et ill. *Krukenberg* t. t. decanus medicinae studiosis Halae me addiderunt, ubi lectiones clinicas ill. *Krukenberg*, ill. *Blasius*, ill. *Niemeyer* frequentavi.

Denique Berolinum reversum mense Majo a. MDCCCXXXV. Ill. *Steffens* t. t. Rector magnificus et ill. *Busch* t. t. Decanus civium academicorum numero iterum me adscripserunt, ubi his scholis interfui: Ill. *Müller* de anatomia pathol.; ill. *Kluge* de ossibus fractis; cel. *Dieffenbach* de operationibus. Praeterea lectionibus interfui clinicis cel. *Wolff* et ill. *Busch*.

Quibus omnibus viris illustrissimis ad cineres usque a me venerandis, summas ago grates.

Tentaminibus jam et examine rigoroso peractis, spero fore, ut summi medicinae et chirurgiae honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDÆ.

1. *Medicina popularis nocifera.*
2. *Phthisis non ex pneumonia oritur.*
3. *Causa praedisponens plus valet ad morbum generandum, quam causa occasionalis.*
4. *Exstat mania occulta.*